



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Quòd contemplationem veram præcedere debent, fui ipsius & omnium mutabilium contemptus, segura cordis & conscientiæ quietatio, & ab omni aliena occupatione elongatio. Cap. XLV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

aritas ausum, ausus gustum, gustus famem, famies cōtemptum omnium, contemptus otium, otium Deū. Veruntamen licet semel perfecte fontem celestis gratiæ degustans, iam nesciat aliud quàm soli Deo firmiter & inseparabiliter adherere, quantūlibet tamen firmus ex Dei gratia videatur, quàm diu portat vas terrenum, in quo thesaurus Dei est, de ipso vase fictili semper est formidandum.

Quod contemplationem veram præcedere debent, sui ipsius & omnium mutabilium contemptus, securæ cordis & conscientiæ quietatio, & ab omni aliena occupatione elongatio.

Cap. XLV.

Ego dormio, & cor meum vigilat. Mens præsentia sui Creatoris visitata, & ex eius amore dilatata propter feruentem Dei charitatem, quam in se sentit, ultra se continere non valens, intuitu spiritali sursum se librat, illum videre desiderans, à quo tam dulciter visitatur & consolatur. Cùm igitur mens sic sursum eleuata per amorem feruidum Christo inhaerit, incipit aliquantulum inter eius brachia consopiri, vt non solum delectabiliter, sed & tenaciter Deo inhareat, & quasi vi quadam abstrahitur ab omnium visibiliū sensu & memoria, sic tamen, vt nō plenè suimet oblita, nec tamè verè compos sui, Canticorum illud experitur: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Est enim talis iste somnus, sicut illorum, qui dormire incipiunt, & tamè videntur sibi ea, quæ circa se fiunt, aliquo modo sentire & intelligere, sed præ sopore non aduertunt. Vnde Prosper de vita contemplatiua dicit: Quod vita actiua profectum habet, contemplatiua fastigium. Illa facit sanctū, hæc perfectū. Illa suscipiendo peregrinum, vestiendo nudum, gubernando subiectū, redimendo captiuū, tuendo violèter oppressum, se iugiter ab omnibus iniquitatibus emaculat, & vitā suam honorū operū fructibus ditat: Illa facultatibus in vsus pauperum distributis, se mundo expoliavit, & celo totis viribus adharens, res mundi mundo proiecit, ac seipsum Christo deuota mente restituit. Cùm igitur aliqui cōtemplationis arcem tenere desiderant, prius, secundum Gregorium, in campo certaminis se per exercitium operis probent, vt sollicitè sciant, si nulla iam mala proximis irrogāt, si irrogata à proximis æquanimiter portant, si obiectis bonis temporalibus nequaquam mens lætitia soluitur, si subtractis eis nō nimio mœrore sauciātur. Nam veram & perfectam contemplationem tria præcedere debent.

«Cō-
empla-
tio ē verā
quā tria p̄-
cedere de-
beant.

Abrenun-
tatio,

Primum est, plena sui ipsius & omnis boni commutabilis abrenun-
tatio: quia, secundum Chrysostomum, nemo eorum, qui delectan-
tur presentibus & caducis, potest caelestia vel spiritualia cōtueri. Nam
& apud homines hic mos est, ut tunc thesauros suos, reconditasq; diui-
rias patefaciant filijs, cum eos adultos iam viderint, & puerilis lasciu-
iā vitia respuisse. Omnis enim, qui vno pede claudicat, illi pedi soli
innititur, quem habet sanum: sic & cui desiderium terrenum iam arefa-
ctum fuerit, in solo pede amoris Dei, tota virtute sese sustinet, & in ipso
stat, quia pedem amoris seculi, quem in terra ponere consueuerat, iam
à terra suspensum portat. Vnde dicitur in libro de spiritu & anima,
quòd ex anima & carne constat homo, & vtrunque bonum suum ha-
bet in quo gaudeat & existat. Bonum animæ Deus est, cum affluentia
dulcedinis suæ. Bonum carnis mundus est, cum abundantia iucundi-
tatis suæ. Sed mundus exterior, Deus autem interior est. Ab hoc ergo
mundo reuertentes ad Deum, per nosmetipsos transire debemus: &
non solum ad nos intrare, sed ineffabili quodā introitu in intimis nos-
metipsos transire, ac intrinsecus penetrando nos ipsos transcendere, &
in Deum ascendere. Hæc est enim requies cordis, cum in Dei amore
per desiderium figitur. Hæc est vita cordis, cum Deum suum cōtem-
platur, & ipsa sua contemplatione suauiter reficitur, & dulce est illi
semper etiam ad desiderandum & considerandum, semper suaue ad
amandum & laudandum. Nihil enim ad beatam vitam præstantius
videtur, quam velut clausis carnalibus sensibus extra carnem mun-
diq; affectū intra semetipsum conuerti, alienatumq; affectum à mor-
taliū cupiditatibus sibi soli & Deo loqui: ut sic per intimam cōtem-
plationem sui, perueniat ad sublimem contemplationem Dei, per quā
nobilis conscientia thesaurus, secretis penetralibus mentis innascitur,
fructus æternæ delectationis acquiritur. Hæc est sol, per quem lumen
diescit in tenebris, cordis oculus, animi deliciosa paradisi. Hæc in ce-
leste terrenum, in immortale caducum, hominem in Deum deificæ
mutationis auctoritate conuertit.

Quies cor-
dis.

Secundum verò præcedens, est secura cordis & conscientia quietatio.
Nunquam enim, secundum Gregorium, commotioni cōtemplatio
iungitur: nec præualet mens perturbata, conspiciere, ad quod vix tran-
quilla valet inhiare: quia nec solis radius cernitur, cum commotæ nu-
bes cæli faciem obducunt: nec turbatus fons respicientis imaginē red-
dit, quam tranquillus propriè ostendit, quia quo vnda eius palpitat,
eo in

eo in se speciem similitudinis obscurat. Sic etiā (vt dicit Albertus mag-
gnus de veris virtutibus) ex consuetudine venialium, securitas mētis,
& Dei familiaritas amittitur, & gratia multiformis negligitur, nec
volare poterit penna, tali visco linita. Vnde dicit Richardus super il-
lud Canticorum: *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo*, quod per *pessulum*
serā potest intelligi. Sera verò cū parua sit & angusta, latitudinem ta-
men ostij claudit, vt nisi illa referata, patere non possit. Sic peccata mi-
nima nisi rescindantur, dilectus ad animam venire non dignatur, ita
vt perfectē ad eam intret, & perfecta gratia repleat. Paruæ enim negli-
gentiæ animam obscurant, & impedimentum amplioris gratiæ faci-
unt. Cū verò mens ab omni facie fuerit libera, maculisque diluta,
tunc se libentissimè tenet in seipsa, & nihil sibi metuit, nec vlla culpa
sua quicquam agitur, sed ingenti quadam fiducia pergit in Deum,
id est, in ipsam veritatis contemplationē. Hinc dicit Bernardus: Cū
veritas in mente fulget, & mens in veritate se videt, quod in nullo cō-
scientia erubescat præsentiam veritatis, quo cogatur auertere faciem
suam, quasi confusam & reperlusam à lumine diei: hoc planè bonū
est, quod super omnia bona animæ diuinos oblectat aspectus. Anima
igitur, quæ sentit aliquando in secreto conscientie, *spiritum Filij cla-*
mantem, Abba Pater, ipsa paterno se diligere credat affectu, quæ se eodem
spiritu quo Filius affectam sentit. Confidat ergo quæcunque sit illa, &
in spiritu Filij filiam se Patris agnoscat, sponsamq; Filij & sororem.
Sororem quidem, quia ex vno Patre: sponsam verò, quia ex vno Spiri-
tu. Et illa dicere potest: *Indica mihi, quem diligit anima mea*. Tertium
est, ab omni distractio tumultu perfecta elongatio. Dicit enim Gre-
gorius: Cessationem Dominus à mūdi laboribus imperat, sanctæ qui-
etis dulcedinem persuadet, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis, &*
onerati estis, & ego reficiam vos. Et tamen vesana mens iniquorū, plus
se allequi aspera carnaliter, quàm tenere blanda spiritualiter gaudet:
plus acerbitate fatigationis, quàm quiete dulcedinis pascitur. Et licet
præsentis vitæ difficultas à mundi dilectoribus non sine luctu agitur,
tamen cum lachrymis amatur. Quia cū in hoc mundo plus honor,
quàm despectio mentem occupat; & magis prosperitatis sublimitas,
quàm necessitatis aduersitas; mens, dum occupatione blanda premi-
tur, libens ad exteriora deriuatur. Et ideo dicit Augustinus, quod iste
mundus periculosior est blandus, quàm molestus. Et magis cauendus
est, cū allicet se diligi, quàm cū admonet cogi, cogitq; contemni:
Ii quia

Canti.

Galat. 4.

Canti.

Elongatio
mentis.

Matth. 11.

quia in hoc mundo non timere, non dolere, non laborare, non periclitari, est impossibile: sed plurimum interest, qua causa, qua expectatione, quo termino quisque patiatur. Ecce turbat hic mundus, & amatur. Quod si tranquillus esset, formoso quomodo haberet, qui sic amplecteris scedum? Flores eius quomodo colligeres, qui manum à spinis non reuocas? Veruntamen cui Christus incipit dulcescere, necesse est mundum amarefcere. Sic Paulo *crucifixus est mundus, & ipse mundo*, quia nec Paulus mundi gloriam quarebat, nec à mudi gloria querebatur: sed se mundo, & sibi mundum esse crucifixum, gloriabatur. Et quia sancti viri nihil huius mundi appetunt, nullis procul dubio tumultibus in corde premuntur, & per hoc ad internam contemplationem magis apti redduntur. Quia dicit Gregorius, quòd vita contemplatiua est charitatem Dei & proximi tota mente retinere, ab exteriori actione quiescere, soli desiderio conditoris inharere, vt nil iam habere libeat, sed calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat.

Galat. 6.

Vita contemplatiua qua sit.

De quinto gradu contemplationis, qui est in intelligentia, & dicitur propriè contemplatio, quæ requirit quatuor contemplatiuis necessaria. Cap. XLVI.

Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Cantic. 1. Eia nunc homuncio, fuge paululum occupationes tuas, absconde te modicum à tumultuosis cogitationibus tuis, vaca aliquantulum Deo, & requiesce in eo: cubiculum tuum intra, & exclude omnia præter Deum, & quæ te iuuent ad querendum eum, scilicet per contemplationem saporosam. Nam cõtemplatio, secundum Augustinum, est illa species, quæ rapit omnem animã desiderio sui, tanto ardentior, quanto mundior, & tanto mundior, quanto ad spiritualia surgentem, & tanto ad spiritualia surgentem, quanto carnalibus desiderijs, & terrenis affectibus morientem. Qui enim à Domino Iesu didicerunt mites esse & humiles corde, plus cogitando, orando, & contemplando proficiunt, quàm legendo & audiendo. Quintus, ergo gradus contemplationis est in intelligentia, quæ est ea vis animæ, quæ immediatè supponitur Deo. Cernit enim ipsum summum bonum verum, & verè incommutabile bonum. Vel, intelligentia est ea vis animæ, qua de diuinis, quantum est homini possibile, cognoscitur ad arcana cœlestia penetranda: quæ paucorum hominũ est, vt dicit Boetius:

Matth. 11.

Intelligentia.

Vnde: